

Collatio Canonatus in Ecclesia S. Petri de Fiblinis facta a Ministro illius Ecclesie, & confirmata ab Archidiacono Alexandria.

351

MCCCLXXVII.

In nomine Domini amen. Nos Presbiter Paulus de Minister, & Rector Ecclesie S. Petri de Fiblinis Diocesis Alexandrinae dilecto nobis Juliano Matthaei Nicolae de Alexandria salutem in Domino. Honestas morum, & vitae, aliaque virtutum quibus apud nos fide digno testimonio commendaris, nos excitant, & inducunt, ut te dono specialis favoris, & gratiae prosequamur. Cum itaque Ecclesia nostra S. Petri praedicti per mortem Gasparis de Gatta quondam Canonici praedictae Ecclesiae ad praesens canonice vacaverit, & vacet, & ad nos, & praedecessores nostros ipsius collatio pertineat de jure, & a tanto tempore cujus in omnium hominum memoria non existat, maxime quia ad praesens in dicta nostra Ecclesia nullus alius praeter nos est in sacris ordinibus constitutus, volentes te meritorum praemissorum intuitu prosequi gratiose, ac etiam praedictae Ecclesiae de idoneo providere canonico, & rectore, eandem Ecclesiam vacantem, ut superius est expressum omni modo, jure, & forma quibus melius possumus, & debemus cum omnibus juribus, & pertinentiis suis tam spiritualibus, quam temporalibus tibi Juliano conferimus, atque damus, ac de ipso canonicatu, & praebenda specialiter providemus investientes te jure annuli traditione de canonicatu, & administratione ipsorum in temporalibus, & spiritualibus plenarie committentes, volentes, & mandantes omnibus, & singulis fidei-
bus, locatoribus, & colonis sub poena excommunicationis tibi Juliano integraliter respondeant deinceps. Committentes aliis Canonicis nostris, ut cuilibet eorum tenore praesentis publici instrumenti, ut te Julianum quandocumque tibi fuerint requisiti, ut de bonis rebus, & possessionibus, ac juribus eidem canonicatui spectantibus, ut supra in corporalem possessionem inducant, & ponant assignando tibi votum in capitulo, & stallum in choro, quibus omnibus, & singulis supradictis venerabilis Pater Dominus Franciscus de Puteo Archidiaconus, & Ordinarius majoris Ecclesiae civitatis Alexandriae, sub cujus jurisdictione dicta Ecclesia sancti Petri de Fiblinis consistit, suam auctoritatem interposuit pariter, & donavit. Et de praedictis omnibus dictae partes, & quaelibet earum una, & plura fieri rogaverunt per me Notarium infra scriptum publica instrumenta. Actum in Alexandria, videlicet in domibus dicti Domini Archidiaconi sub an. nat. Dom. MCCCLXXVII., indict. XV., die XXIV. mensis octobris praesentibus presbitero Antonio Corazza, & Vellelmo Dazzano quondam Francisci testibus ad praedicta vocatis, & rogatis.

Ego Girardinus Ghilinus publicus Imperiali auctoritate Notarius, ac Officialis, & Scriba dicti D. Archidiaconi praedictis interfui, & hanc cartam mihi iussam rogatus tradidi, & scripsi, & signo pro meo nomine roboravi in testimonium praemissorum.

Litterae delegationis Gregorii XI. Cantori Ecclesiae Alex. Dioc. Aq. in causa Joh. Berui cum Episcopo Terdonensi.

MCCCLXXVII.

352

Gregorius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio cantori Ecclesiae S. Petri de Alexandria Aquen. dioc. salutem, & Apostolicam benedictionem. Conquestus est nobis Joannes de Berutis civis Terdonensis, quod ven. Fr. noster Joannes Episcopus Terdonensis super quibusdam libris juris canonici, & rebus aliis ad eum spectantibus injuriatur eidem; ideoque discretionis tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audias causam, & appellatione remota debito sine decidas, faciens quod decreveris, auctoritate nostra appellatione postposita ecc. compescendo ecc. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram Ecclesiasticam compellas veritati testimonium perhibere. Dat. Romae apud S. Petrum XVI. cal. dec. Pontificatus nostri anno septimo cum plumb. Gregorius XI.

R. Frontalis

Concilium generale Marchionatus Montisferrati ab Ottone duce Brunsvicensi post mortem secundi Ottonis ad deliberandum de rebus ad ipsum spectantibus convocatum.

MCCCLXXIX.

353

In nomine Domini Nostri Jesu Christi, & Beatae gloriosae Virginis Mariae, ac totius curiae celestis, amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo septuagesimo nono, indictione II., die lunae tertio mensis januarii. In castro Montiscalvi in caminata magna super volta praesentibus sapientibus, & nobilibus viris D. Antonio de Silvestro de Corgnato legum Doctore, D. Oberto de Montalto de Grazzano juris utriusque perito, Henrieto Turco cive Ast, Franceschino de Coccastello de Montilio, Odonino Balisteo de Grazzano, Gulielmo Cicoletto de Verolengo, & pluribus aliis testibus notis, & rogatis.

In pleno, & generali parlamento Marchionatus Montisferrati ibidem congregato de mandato serenissimi Principis, & D. D. Otthonis Ducis Brunsvicensis curatoris, & gubernatoris illustrissimi Principis Domini Joannis Marchionis Montisferrati, & Marchionatus, in quo aderant multorum nobilium, & popularium, & ambaxiatorum locorum Marchionatus maxima multitudo, & principaliter aliqui, quorum nomina describentur inferius, praefatus Dominus Dux dicto nomine petiit ab omnibus existentibus in dicto parlamento super infra scriptis occurrentibus consilium sibi dari.

Et primo super facto petitionis, quod facit illustrissimus Dominus Amedeus Comes Sabaudiae ab illustrissimo Principe Domino Joanne Marchione Montisferrati, qui petiit locum Clavaxii, & omnia loca Canapitii, Povarinum, & Montecucum quae loca sibi asserit fuisse, & esse obligata per illustrissimum Dominum secundum Ottonem Marchionem Montisferrati fratrem dicti Domini Marchionis, prout majori parti